

Tithymalus heterophyllus est *Euphorbia heterophylla*. Sp. pl. 453.

Tithymalus linariæ foliis angustioribus est procul dubio *Euphorbia polygonifolia*. Sp. pl. 455.

Thymelea frutescens rosmarini foliis est procul dubio *Tournefortia suffruticosa*, foliis subincanis oblongis fronde comosa. Brown jam 170; quam vero Brown judicat synonymam Sloan. t. 162. f. 2. nequit esse Tournefortii species, quod ex calyce magno, quem pingit Sloane, judico, cum nulla Tournefortia gerat calyces majores, sed semper parvos. adeoque dicenda *Tournefortia foliis lanceolato-linearibus confertis terminalibus, caule suffruticoso*. cujus synonymon erit *Tournefortia 5. Brown. jam 170.* non vero Sloanii.

Tamnus racemosa minor. mihi plane ignota planta; nequit esse Tamnus cum gerat cirrhos; forte. Species *Smilacis*, cujus variæ sunt speciès herbaceæ, sed ex hac figura nulla ratione eruendæ. an *Smilax herbacea*.

Tamnus anguriæ folio. Hæc planta procul dubio pertinet ad novum genus *Anguriæ* D. Jacquini, quod exinde judico quod aliqui flores in figura sistunt duo stamina exserta. synonyma difficile eruuntur, cum plures cucurbitaceæ plantæ gerant folia palmata; si vero vocare lubeat hanc plantam Anguriam *foliis palmatis integerrimis, fructibus ovatis lævibus* distinctissima evadat.

Avidissime aveo videre DD. Burmanni Gerania.

Ego quotidie elaboro tertium tomum systematis, qui lapides proponat, in quo spero me aliquid præstiturum.

Pessimi Angli Piratæ abstulerunt insecta ad me missa e Gallo-provincia, quod doleo.

Accepi Simiam Jacchum vivam; pulchellum animal.

Wachendorfia foliis suis plicatis pulchre excrescit e seminibus a Te amicissime missis.

Utinam Tua navis brevi appelleret.

vidi novam editionem systematis mei Leidæ editam, sed infausto sidere; omisit nomina trivialia, quæ palmarium.

Utanskrift:

a Monsieur

Mons^r Jean Burmannus

Professeur en Botanique

frijbr.

Amsterdam

Sigill V, rödt lack.